

nielis tanquam genuina et divinitus inspirata celebrat, ac narrat, quod diu ante regnum *Antiochi* a *Iaddo* summo iudaeorum pontifice ostensus sit *Alexandro M.* liber *Danielis*, et in eo prophetia illa (1) de *graeco quodam persas debellaturo*. V. Tempore quoque Christi Domini persuasum erat iudaeis, librum *Danielis* esse authenticum, et prophetias in eo contentas non esse serius confictas, sed *Danieli* divinitus inspiratas, ut clare colligitur ex illis Christi verbis ad discipulos: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto* (Dan. 9, v. 27): *qui legit, intelligat etc.* VI. Etiam si auctor libri, qui dicitur *Danielis*, primum tempore *Antiochi* vixisset: tamen illi spiritus propheticus non esset denegandus, quia regnum Christi primum venturi, et Hierosolymam a romanis devastandam ex revelatione intellexit (2).

Ceterum, quod nec liber *Danielis*, nec libri *Salomonis*, *Davidis etc.* *Alexandriae* compositi sint, ut auctor *Momentosi examinis* fabulatur, inde patet, quia, si hi libri *Alexandriae* essent confecti, scripti fuissent graece, cum ad usum alexandrinorum iudaeorum, utpote qui linguam hebraeam non callebant,

rat. Eodem autem modo scripsit et de romanorum imperio, et quantam vastitatem illaturi essent nostris hominibus. Haec omnia divinitus sibi demonstrata scripto tradidit, et posteris legenda reliquit, ut videntes eventum non discrepare a praedictionibus, *Danielem* mirentur ob tam insignem honorem illi a Deo habitum... Quamobrem, dum *Danielis* vaticinia considero, non possum non damnare istorum inscitiam, qui Deo negant curae esse res mortalium. Qui enim fieri potuit, ut prophetis eius responderet eventus, si temere in mundo gererentur omnia? Hucusque *Iosephus*, qui insuper l. 11 Antiq. Iudaic. c. 8, haec habet:

graeca horum librorum versio fieri debuerit, et liber *Danielis* aequae ac alii libri ita versi sunt. Certe anno 1772 Romae graeca LXX interpretum versio libri *Danielis* secundum aliquod exemplar ex *Tetralipsis Origenis* desumptum facta, in lucem prodit.

115. QUÆRES II. *An Nabuchodonosor* (Dan. c. 4) *vere in bovem mutatus sit?* R. Variæ sunt hæc de re sententiæ. Ac in primis veterum quidam, teste s. *Hieronymo* (3): nomine *Nabuchodonosor* hoc loco intelligebant *Luciferum* e coelo lapsum. Putabant nempe historico sensu vix posse constare ea, quæ cit. loco de mutatione *Nabuchodonosoris* in bovem a propheta dicuntur. Unde censebant in *Nabuchodonosore* hic casum describi *Luciferi*, qui de coelo, quasi de imperio lapsus, in belluinam degenerasse naturam visus est. Verum constans est, communisque patrum et interpretum (4) tam nostrorum, quam hebraeorum sententia, veram esse hanc de *Nabuchodonosore* in bovem mutato historiam, non allegoriam tantum aut parabolam. Probat autem id *Hieronymus* ex eo, quia eodem filo ac modo hæc sunt a *Daniele* descripta, quo præcedentia; atque ideo si ista fidem habent historicam, non est cur illis histori-

« Pontifici quoque (*Iaddo*) suum honorem exhibuit (rex *Alexander M.*) Ostenditque sibi *Danielis* libro, in quo graecum quendam persas debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus, laetus dimisit multitudinem. »

(1) Vide *Iosephum* loc. cit. nempe lib. 11 Antiq. Iudaic. c. 8.

(2) *Daniel*. c. 7, v. 13, 14, 27. Item *Daniel*. c. 9, v. 24 usque ad finem. Confer etiam *Iosephum* supra citatum l. 10 Antiq. Iud. c. 12.

(3) Commentar. in *Daniel* c. 4, v. 1.

(4) *Hieron.*, *Theodoret.*, *Augustin.*, *Maldon.*, *Perer.*, *Cornel.*, *Sanct.*, aliique.

cam fidem denegemus. Præterea *Daniel* ipse sequenti cap. 5, v. 20 et 21 *Balthasari* filio *Nabuchodonosoris* hæc eadem parenti ipsius contigisse dicit, et hæc omnia singillatim dinumerat his verbis: « Quando autem elevatum est cor eius (id est *Nabuchodonosoris* regis), et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui. . . . et a filiis hominum eiectus est, sed et cor eius cum bestiis positum est. . . . foenum quod ut bos comedebat, et rore coeli corpus eius infectum est, donec cognosceret, quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum. » Atqui *Daniel* hæc tam distincte non narrasset, si non vera essent, et reapse contigissent: neque conclusisset vers. 22 dicens: *Tu quoque filius eius Balthasar non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia; sed adversus dominatorem coeli elevatus es.* Sed audiamus, quid veteres illi teste *Hieronymo* (1) contra veritatem historiae de *Nabuchodonosore* in bovem mutato opposuerint, aut opponere possint.

OPPON. I. Sicut in rege Tyri *Ezech.* c. 28, v. 1 etc. et sub rege *Babylonis* *Isa.* 14 v. 12 etc. casus *Luciferi* descriptus est: sic etiam in rege *Nabuchodonosore* *Daniel* c. 4 idem casus diaboli adumbratus fuit. R. Nego paritatem. Nam varia sunt in *Dan.* cap. 4 de *Nabuchodonosore* dicta, quæ in *Luciferi* casum convenire nullatenus possunt, ut quod post vitam diu cum bestiis actam reversus sit sensus ad *Nabuchodonosorem*, quod Deum laudaverit, quod ad regnum post ignominiosum ac sordidum statum revocatus sit, quod *Danielem* suum appellavit collegam: quæ omnia quomodo aut quo sensu de diabolo

(1) Loc. cit.

dici potuerint, non apparet. Neque exempla regis Tyri ac *Babylonis* in obiectione adducta adversariis suffragantur; nam revera historice tam quæ de tyrio, quam quæ de *Babylonio* rege cit. loc. *Ezech.* et *Isa.* narrantur, contigerunt: per accommodationem tamen sunt ad *Luciferum* translata, ut iis locis docent interpretes. At quomodo, quæ *Dan.* c. 4 de *Nabuchodonosore* dicuntur, ad *Luciferum* accommodari possint nequaquam, ut paulo ante diximus, apparet.

OPPON. II. Res tanta, tamque prodigiosa, qualem fortasse nulla vidit aetas (scilicet mutatio *Nabuchodonosoris* in bovem) non fuisset omissa ab historicis, qui de rebus scripsere chaldaicis, si ea reapse contigisset. Atqui fuit omissa. R. Quod res tanta a nullo ex profanis scriptoribus prodita sit annalibus, aut saltem si prodita, hodie non extet, non una ratio est. Prima, quia illa saecula fuerunt illiterata: unde pauca admodum, quæ *Cyri* aetatem antecesserunt, in antiquis habemus monumentis. Deinde quia licet illa scripta fuerint, iniuria longissimi temporis et artis typographicae defectu perierunt. Certe monumenta chaldaeorum paene omnia interiire. Habemus quidem fragmenta quaedam scriptorum, qui res olim chaldaicas historia persecuti sunt, apud *Iosephum* ac *Eusebium*, quæ et ipsa quoque interiissent, nisi essent posteriorum industria renovata. Sane teste *Iosepho* (2), *Berosus* et *Megasthenes* non pauca de *Nabuchodonosoris* prodiderunt historiis: sed illa omnia præter admodum pauca interciderunt, in quibus fortasse scriptum erat id quod hic apud *Danielem* sacra prodit historia. Multi *Hiero-*

(2) L. 10 Antiq. Iud. c. 11. Et lib. 1 contra *Appionem*.

nymi aetate scriptores legebantur, ex quibus *Hieronymus* docet illa sumenda esse, quae aliquid lucis *Danielis* prophetiae sunt allatura: at illorum nihil reliquum praeter obscuram memoriam. Quis modo legit *Sactorium*, *Callenicum*, *Possidonium*, *Theonem*, *Andronicum* et alios eiusdem ordinis historicos? at horum lectionem commendat *Hieronymus* (1) illi, qui abdita *Danielis* arcana scrutari voluerit. Sic puto illorum scripta, si qua fuerunt, interiisse, in quibus olim admirabilis illa *Nabuchodonosoris* tragodia seu mutatio in bovem legebatur. Neque omnino deest tenue saltem aliquod huius rei vestigium apud profanum quemdam scriptorem in aliquo fragmento, quod ex historia fortassis longa olim scripta relictum est. Hic est *Alphaeus*, de quo *Eusebius* (2) inquit: « *Alphaeus* de assyriis et *Nabuchodonosor* hoc modo scribit. *Megasthenes*, inquit, vir priscus *Nabuchodonosorem* *Hercule* robustiorem dicit fuisse, universamque *Lybiam*, caeteramque *Asiam* usque ad *armenios* domuisse, quem *chaldaei* dicunt, cum in regnum suum rediisset, furore divinitus captum, magna exclamasse voce: *Futuram*, o *babylonii*, vobis ego calamitatem praenuntio etc. His aliisque huiusmodi dictis subito evanuit. Haec *Alphaeus* ex *Megasthene*. » Denique cum monumenta *chaldaeorum*, ut diximus, pene omnia interierint, sufficiat solus *Daniel*, non aequalis modo, sed etiam rei gestae testis omni exceptione maior; quia vir illustris ac iustus, favore regio pollens, et, ut ex tota eius vita constat, extra omnem suspicionem doli, assentationis, corruptionisque positus.

(1) Praefat. in commentar. *Danielis*.

(2) L. 9 de Praeparat. evang. c. ult.

OPPON. III. Multa cap. 4 *Daniel*, supra vires naturae, multa contra fidem historicam de *Nabuchodonosore* dicta sunt, quae si in sensu reali seu historico sumantur, prorsus incredibilia videntur. Ut quod mutatus dicatur in belluam; quod septem annos homo prius in regniis deliciis enutritus, nudus hyemes aestatesque transegerit, pastus foeno, et coelesti rore madidus. Quod post statum illum ignobilem et sordidum non solum iterum admissus fuerit, sed etiam quaesitus ab optimatibus in regnum, et plura eiusmodi, quae nemo prudens facile credet. ¶ Haec omnia non evertunt veritatem historiae de mutatione *Nabuchodonosoris* in bovem; prout infra (3) distincte exponemus, ubi nostram hac de re sententiam protulerimus.

116. Stabilita igitur sententia, quod mutatio dicti regis in bovem reapse contigerit, ulterius quaeritur, quo modo aut sensu ea contigerit. Quatuor potissimum circa hanc rem sunt diversae sententiae. I. *Bodinus* (4) rebus exoticis, ac maxime daemoniacis, quam plurimum tribuens, somniavit *Nabuchodonosorem* ita mutatum, ut hominis et forma, et mente exuta merus, merissimus taurus esset. Verum haec opinio ab omnibus reiicitur, nec ulla necessitas est sic intelligendi s. Scripturam *Dan. c. 4*; prout mox infra videbimus. II. Alii censent, regem *Nabuchodonosorem*, retenta hominis anima, externam tantum bovis speciem induisse: uti s. *Augustinus* (5) accidisse narrat quibusdam italis, qui, cum gustassent caseum arte magica paratum, formam equi assumpserint; ita quidem, ut id ipsi sen-

(3) Num. 117.

(4) *Daemonolog.* lib. 2, c. 6.

(5) Lib. 18 de civitate, c. 18.

tirent, dolerentque; coacti enim erant hac externa specie magis certo quodam tempore servire; quo evoluta, iure postliminii propriam formam recipiebant. Sed neque hoc de *Nabuchodonosore* asserere necesse est; ut pariter ex infra dicendis patebit: neque vestigium magici fascini hic intercedentis in sacris literis deprehenditur, sed totum id, quidquid est, divinae potentiae tribuitur, deprimere fastum superbi regis valenti. III. Rabbini nonnullis aliter visum est. Dicebant autem (1) animam *Nabuchodonosoris* metempsychosi repentina in aliud corpus tractam, locumque eius discessu fuisse factum, ut bovis anima substitueretur, ex qua bovini mores indolesque, quantum tamen hominis figura, quae semper manebat, pateretur. Evoluta septennio repetivisse animam *Nabuchodonosoris* aiebant contubernium suum, et animam bovinam migrare coegisse vel invitam, contraque mugientem quam fortissime. Equidem nostra aetas, quae ineptias antiquorum non raro recoquit, hominibus, praesertim militaribus persuadere cupit, animas ex uno corpore in aliud transire; quo fortius scilicet ruant in mortem, atque e gregariis duces fortassis evadant: aut ex aliis rationibus, quas hic commemorare supersedeo. Praeterea negari non potest, pharisaeos metempsychosis cuiusdam genus admisisse, iustorum animas (2) de uno in aliud corpus transmigrare autumantes; cum interim impii tenebricoso carcere perpetuo damnentur. Taceo plures alios, qui transmigrationem

animarum docuere aut docent. Ceterum omissa refutatione huius stultitiae, quam cl. *Weissenbach* (3) breviter affert, id solum denuo observo, ad explicandam *Nabuchodonosoris* mutationem in bovem nulla transmigratione animarum opus esse; ut ex mox dicendis patebit. IV. Denique recepta communi suffragio et maxime probata sententia, quam etiam nos amplectimur, tenet (4) *Nabuchodonosorem* percussum ultrice manu Omnipotentis in phrenesim incidisse; in illud nempe morbi genus, cuius species *Lycanthropiam*, aut *Aeluranthropiam* appellant; cuius vi turbata phantasia, atque morbido ardore effervescens lupi, felis, vel canis etc. mores indolemque sibi adsciscit, ita ut talis aeger quae illarum belluarum propria sunt, cogitet, illa amet, quaerat, imitetur etc., quin tamen ideo forma externa hominis in speciem bruti mutetur. Neque id morbi genus ignotum est medicis, scriptisque de medicina libris; ut videre est in *Dictionario medico Basileae* an. 1564, typis *Henrici Stephani* impresso, vocabulo *Λυκανθρωπία*. Sic igitur rex *Nabuchodonosor* semel bovem se esse persuasus, coepit curvato dorso manibus pedibusque reptare, herbas carpere, mugire, veluti cornu petere, fugere homines, comas unguisque ferino more negligere etc. Quod stupentes *babylonii* furentem vinxerunt, ut inquit propheta *Daniel* (5) his verbis: *Alligetur vinculo ferreo et aereo*. Tandem vero tanquam insanus eiectus est consortio hominum, communem cum belluis habitationem

(1) Ita refert *Calmelus* in dissertatione de metamorphosi *Nabuchodonosoris*.

(2) Vide *Iosephum* l. 2 de bello *Iudaico*, c. 7 ad finem.

(3) Nova forma theol. bibl. tom. 2, lib. 5, q. 45, pag. 255.

(4) *Hieron.*, *Theodoret.*, *Maldon.*, *Perr.*, *Cornel. a Lap.*, *Sanctius*: s. *Thomas* de regimine princip. l. 2, c. ult. *Rupertus* de Trinit. lib. 6 de vict. verb. c. 29, *August.* l. 18 de Civit. aliique.

(5) *Dan.* c. 4, v. 12.

nactus, iuxta illud (1); *Eiciant te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et foenum ut bos comedes, et rore coeli infunderis.*

117. Porro in hac nostra sententia de mutatione *Nabuchodonosoris* in bovem, facile iam solvuntur et eā, quae supra (2) obiecta sunt, aut quorum explicatio a lectore sciendi avido hic fortassis expectatur. Nam I. In nostra sententia apte explicatur, quomodo aut quo sensu *Nabuchodonosor* IN BOVEM MUTATUS; ut ex dictis priore numero satis liquet.

II. Explicatur, quomodo potuerit rex ille delicatissime ab ortu suo educatus, summisque deliciis innutritus, toto septennio, nudus et sub dio, soloque herbarum pastu vivere. Certe illud de nudo corpore difficultatis nihil habet, si consideremus et coeli naturam, et loci proprietatem in Babylonia. Est enim locus ille calidissimus et eiusmodi, ut mirari quis debeat potius, cur homines ibi vestiti, quam cur incedant nudi. Vide *Plinium* (3), *Strabonem* (4), *Plutarchum*, quorum ultimus in vita *Alexandri* ad medium, de Babylonicae regionis temperamento ait: *Incolae (illius) -per aestus immensos super plenis aqua utribus somnos capiunt; testaturque, hederam in tellure babylonica non crescere, addens hanc rationem: Illa namque (nempe babylonica) fervida regio est: haec (hedera) vero locis amica frigidis.* Sane aestus babylonicus in proverbium abierat, ita ut impossibile iudicaretur, aestum Babyloni defuturum. Unde *Ovidius* hoc inter impossibilia posuit, canens: *Nec Babylon aestum, nec frigora Pon-*

(1) Ibid. v. 22.

(2) Num. 115, *Oppon. III.*

(3) L. 2, c. 105. (4) L. 16.

tus habebit etc. In tali regionis temperie, quid miremur regem *Nabuchodonosorem* vixisse nudum? Vixere in aliis regionibus, in quibus minus est benigna coeli temperies, complures alii nudi, ut *gymnosophistae*; et quotidie in regionibus trans oceanum, nunc ab europaeis detectis, populi reperiuntur frequentes, qui nudi vivunt; neque tamen ideo minus est diuturna atque robusta eorum vita. Legimus item in sanctorum patrum historiis, complures eorum, qui morabantur in eremo, et fuisse nudos, et herbarum duntaxat pastu vitam sustinuisse. Narrat quoque *Abenezra*, audiisse se de quodam (quod et ego, ait *Maldonatus*, audire aut legere memini), qui in insula Sardinia in montes secesserit, seque cervis aggregaverit, longoque tempore cum illis herba victitarit. Praeterea non esse talem victum simpliciter impossibilem homini, inde patet, quod *Plinius* (5) narret, quandam esse gentem aethiopum, quae solis locustis crudis vivat; alios tantum herbis pasci: quosdam omnia mandere, et obviis quibuslibet rebus vesci, ob idque *Panphagos*, id est, omnia edentes appellari. Plurimum quoque conducebat ad illud vitae genus tolerandum, vehemens *Nabuchodonosoris* imaginatio. Cum enim imaginaretur, se bovem esse, cibum bovinum tanquam sibi convenientem expetebat. Plurimum autem facere in huiusmodi rebus imaginationem, praesertim in amentibus et furiosis, quotidianis experimentis discimus. Videmus enim inter sanos et amentes magnum esse discrimen, et multa ab amentibus appeti, et cum voluptate fieri, quae sana mente praediti aversantur et horrent. Ad-

(5) L. 6, cap. 50.

de, quod cum *Pererio* (1) dici possit, temperamentum corporis eius regis divina vi et potentia adeo fuisse immutatum et efferatum, ut similis esset temperamento bestiae quam hominis. Quapropter cibus bestiarum, qui humano temperamento est noxius, non erat temperamento illius regis alienus, sed quodammodo conveniens et utilis.

III. Quando ii, qui veritatem huius historiae de mutatione dicti regis in bovem elevare volunt, quaerunt: *Quisnam illo septennii tempore regnum chaldaeorum tenuerit; aut num credibile sit, eum, qui illo tempore intermedio imperium tenuit, resipiscenti et ad priorem vitae statum redeunti regi, regno cedere, aut sponte voluisse, aut coactum esse?* facilis est responsio. «Potest enim responderi, ut *Pererius* (2) ait, eo intermedio tempore, regis *Nabuchodonosor* filium, nomine *Evilmerodac*, patris vice, imperium rexisse. Nam hunc successisse ipsi *Nabuchodonosor*, expressisse traditur *Ierem.* 52, v. 31. Si autem *Evilmerodach* non erat eo tempore per aetatem, tanto imperio regendo maturus atque idoneus, responderi potest, optimates regni, consensu populi, quoad rex ad sanam mentem rediit, gubernacula imperii tractasse. Ut autem postea *Nabuchodonosor* sine ulla contradictione et difficultate, ab omnibus reciperetur ad imperium, perfecerat *Daniel* sua auctoritate et sapientia: quippe praedixerat regem post septennium ad integritatem sensuum, mentisque sanitatem rediturum, eumque post id temporis, regem futurum modestissimum etc... *Chaldaei* autem, qui saepe alias *Danie-*

(1) L. 5 in *Danielem*, pag. 167 et 172, edit. rom. an. 1585.

(2) Ibid. pag. 168.

(3) *Dan.* c. 4, v. 53.

lis praedicta fuisse vera experti fuerant, in hoc pariter vera fore, non dubitabant. Itaque summo illius regis desiderio tenebantur, ut mirum non sit, statim ut ad se reversus est rex, fuisse eum ab omnibus non modo sine difficultate, sed summa etiam gratulatione laetitiaeque receptum. Atque hoc ipsum indicant verba ipsa *Nabuchodonosor* (3): *Optimates, inquit, et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi.* Vide etiam hac de re cl. *Weitenauer* (4).

IV. Haud incredibile est, quod illo septennio capilli *Nabuchodonosoris* in similitudinem aquilarum creverint, et unguis eius quasi avium, *Dan.* 4, v. 30. Sensus nimirum horum verborum est: «Rex ille in belluinam speciem sic degenerasse visus est, ut capilli eius corpus eum in modum operirent, quo plumis vestitur aquilarum corpus: et unguis sic excreverunt vehementer, ut avium diceret, non hominis unguis. Cum enim eius capilli multo tempore intonsi incultique manerent, mirum in modum creverunt: eumque ita operuerunt, ut illis esset tectus velut aquila plumis. Porro sicut neglectus et intonsus eiusdem regis capillus in aquilarum similitudinem diffusus est: sic etiam septennali spatio unguis nunquam resecti, tantopere excreverunt, ut avis putares, non hominis unguis. Huiusmodi prae longos unguis in decrepito sene vidit *Bartholinus* (5); imo quivis experiri potest in semetipso, si quidem crescere sinat unguis, ad exemplum sinensium, quorum non-

(4) In nota, quam in sua bibiorum versione germanica *Dan.* c. 4, v. 30, addidit.

(5) *Cent.* 2, epist. ult.

nulli teste *Sanctio* (1) manus habent ad plurimas functiones inutiles, quia unguis non resecant, atque ideo in pugnum manus complicare non possunt.

V. Denique in nostra sententia commode explicatur, quomodo aut quo sensu *Nabuchodonosor* restitutus sanae menti et regno dicere poterit (2): ET FIGURA REVERSA EST AD ME; quae verba indicant, prius alienam ab humana figura habuisse. Sed nempe, ut *Sanctius* in hunc locum observat, vox *figura* omnium gentium consensu significat multa et varia, ac praeter alia etiam speciem seu habitum corporis. Sic, si propter morbum et inedia, aut vitam rusticam in eo, qui urbanam prius, et delicatam egerat, vultus mutatur, et fit macilentus et luridus; niger aut horridus; impexus, intonsus, etc., tum mutasse dicitur figuram seu formam priorem. Sane figuram amissae dici poterant illi, de quibus *Jeremias* (3): *Candidiores nazaraei eius nive, nitidiores lacte etc. Denigrata est super carbones facies eorum; et non sunt cogniti in plateis: adhaesit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum. Cum ergo Nabuchodonosor regia deposuisset insignia, nempe figuram regis; et promissa atque neglecta coma, et excrescentibus deformiter unguibus; et toto corpore aestu ac rore deformato, nihil retineret dignitatis antiquae, et longe diversam a priore praeseferebat formam, vere dici potuit amissae priorem figuram, et tunc resumpsisse novam seu priorem, quando iterum in antiquam munditiam regnique dignitatem restitutus est.*

(1) Comment. in Dan. c. 4, v. 30.

(2) Dan. c. 4, v. 35.

(3) Thren. c. 4, v. 7 et 8.

(4) Comment. in Dan. c. 4, v. 34, n. 82 et 85.

Quod ipse videtur significasse *Nabuchodonosor*: tunc enim dixit: *Et figura mea reversa est ad me, cum dixisset immediate antea: Ad honorem regni mei, decoremque perveni.* Plura in confirmationem huius nostrae explicationis eruditus lector inveniet apud *Sanctium* (4) et *Perronium* (5).

COROLLARIUM. *D. de Voltaire* christianos ridet, qui crederent, *Nabuchodonosorem* abuisse in verum bovem. Sed frivole omnino ac inepte. Excepto enim *Bodino*, et fortassis paucissimis aliis, nemo christianorum supra plebem sapientium hoc credit; ut ex supra dictis (6) abunde patet. Ceterum de mutatione illius regis in bovem praeter auctores iam citatos, et complures alios etiam scripsit auctor *Epistolarum iudaicarum ad dominum de Voltaire* (7), et *AUGUSTINUS CALMET Dissertatione praemissa commentario in Danielelem*, et in *Dictionario biblico*, vocabulo: *Nabuchodonosor*.

118. QUÆRES III. *An non lepidonare videatur, dum rex Nabuchodonosor (Dan. IV, v. 5) Danielelem vocat COLLEGAM suum? R.* Nil in hoc dicto lepidum, aut non verisimile continetur. Nam rex *Danielem* participem fecerat imperii sui, cum praefecit eum administrationi totius Babyloniae (8), et, ut valde verisimile est, eius consilium in quibusque gravibus usus sit, adeo ut revera socium habuerit in administrando regno: unde honoris gratia suum appellavit consortem et collegam. Itaque paraphrasis horum verborum *Nabuchodonosoris* loc. cit.: *Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel... qui ha-*

(5) Loc. cit. pag. 175.

(6) Num. 116 et 117.

(7) Pag. 296.

(8) Dan. c. 2, v. 48.

bet spiritum deorum sanctorum in semetipso; et somnium coram ipso locutus sum, sic fieri potest: « Haesi itaque dudum perplexus et dubius, donec assiduus mihi socius et collega, cui ego occulta consilia et publicas regni curas impertior, Daniel... quem divinus afflat et illustrat spiritus, ingressus est ad me, quem ego in hunc modum allocutus sum. » Iam, quaeso; quid in hoc lepidi aut absurdi? Taceo alias aliorum responsiones.

119. QUÆRES IV. *Quomodo Nabuchodonosor (Dan. 4, v. 27), se iactare potuerit velut Babylonis fundatorem, dicens: NONNE HAEC EST BABYLON, CIVITAS MAGNA, QUAM EGO AEDIFICAVI? cum tamen notum sit, Nemrodum Babylonem molitum esse? R.* *Babylon* longe aliam ac multo augustiorem faciem sub *Nabuchodonosore* induit, ac sub *Nemrodo* habebat. Hanc sibi deberi *Nabuchodonosor* loc. cit. gloriatur.

120. QUÆRES V. *Quomodo concordant haec duo, dum (Dan. 6, v. 16-24). Daniel dicitur fuisse in lacu leonum una duntaxat nocte: sed (Dan. 14, v. 39) legitur, usque ad diem septimum ibi fuisse? R.* Optime concordant. Nam *Daniel* bis in lacum leonum missus est. Prima vice a babylonis, quia *Belem* draconem interfecit: et tunc in lacu mansit 6 diebus; ut Dan. cap. 14 describitur. Secunda vice sub *Dario Medo*, quia contra edictum regis preces fudit ad Deum, et tunc una duntaxat nocte in lacu mansit; ut Dan. cap. 6 narratur.

121. QUÆRES VI. *Quomodo Daniel (Dan. 8, v. 2), potuerit dicere: CUM ESSEM IN SUSIS CASTRO; cum tamen SUSAE in historia etiam profana describantur tanquam urbs*

(1) Lib. 5.

(2) L. 5.

(3) *Munimen fidei*, sect. 1, c. 42. *A-mica collatio*, p. 161. Bible expliquée,

magna et metropolis susianae regionis? R. Urbs haec castrum dicitur, quia munitissima, et castrum habuit expugnatum valde difficile, a quo nomen illud sortita est, in quo persicae servabantur gazae. Audiamus *Q. Curtium* (1) de hac civitate et eius arce ita loquentem: Ubi vero (Alexander M.) urbem (Susan) intravit, incredibilem ex thesauris summam pecuniae egressit, quinquaginta millia talentorum argenti non signati forma, sed rudi pondere... rex (Alexander M.) Persidis fines aditurus, Susan urbem Archilao, et praesidium trium millium tradidit: Xenophilo arcis cura mandata est: macedones aetate graves praesidere arcis custodiae iussit. Quam vero arx illa susiana fuerit munita, docet *Polybius* (2), narrans, *Molonem*, cum multas *Antiocho M.* urbes abstulisset, venisse *Susan*, et urbem cepisse non magno negotio; arcem vero diu multumque tentatam expugnatione capere non potuisse.

122. QUÆRES VII. *An ex LXX hebdomadis Danielis (Dan. 9, v. 22 etc.) contra iudaeos, non obstantibus difficultatibus chronologicis, invicte demonstrari possit, quod Messias iam venerit? 2. An per ABOMINATIONEM DESOLATIONIS, de qua angelus ad Danielelem cit. loc. loquitur, intelligenda sit desolatio iudaeorum sub Antiocho Epiphane, vel desolatio universalis in fine mundi? Antequam respondeam, imprimis observo quod tam iudaei, quam alii increduli (3), ex multiplici varietate sententiarum, qua christiani initium LXX hebdomadarum Danielis, et earundem finem in morte Christi chronologicè computare adlaborant, inferant, ex hac prophetia in libro Danielis con-*

pag. 467. *Du Marsais*, cuius verba refert et refutat cl. *Nonnotte* in *Diet. philos. de la relig.* p. 2, pag. 706.

tenta nequaquam evinci posse, Messiam iam venisse, ita argumentantes: « Inter ipsos christianos est maxima dissensio de initio et chronologica computatione LXX hebdomadarum Danielis, dum alii harum exordium ducunt ab edicto Cyri, alii ab anno septimo regni Artaxerxis longimani, iterum alii ab anno eiusdem vigesimo etc., ergo ex his hebdomadis contra iudaeos nil certi pro adventu Messiae iam facto concludi potest. » Verum nos christiani huius entymematis antecedens facile concedimus iudaeis: negamus autem consequentiam, et ostendimus, quod non obstante tanta diversitate opinionum circa exordium et chronologicam computationem dictarum hebdomadam, tamen ex cit. loc. Danielis invicte evincatur, Messiam iam venisse. Ut autem hoc clare et distincte ostendamus, aliqua sunt praemittenda.

NOTANDUM I. Revelatio de LXX illis hebdomadis Danieli facta est anno primo Darii Medii (1), prout ipsemet Daniel testatur (2). Porro Darius Medus, de quo hic loquimur, est ille ipse, qui oppugnata Babylone, Balhasarem, postremum assyriorum et chaldaeorum regem interfecit, et monarchiam ab assyriis ad medos et persas transtulit, cui tamen non nisi uno alterove anno praefuisse dicitur. Successit ei Cyrus, qui in s. Scriptura tanquam liberator populi hebraici, utpote quem primo regiminis sui in monarchia persica anno e captivitate babylonica liberum dimisit, ut I. I Esdrae cap. 1 narratur.

NOTANDUM II. *Hebdomas* est vox graeca, latine significans *septenarium*: unde sicut variarum rerum et

(1) Darius Medus non erat ille Darius, qui ab Alexandro M. victus est. Hic enim vocabatur Darius Codomannus, et diu post Darium Medum regnavit.

temporum septenarii dari possunt, ita variae dari possunt hebdomades, nempe *hebdomades dierum*, quo sensu nos ordinarie accipimus hebdomadam, nimirum pro tempore 7 dierum, vel *hebdomades annorum* seu pro tempore 7 annorum, vel *hebdomades iubilaeorum*, aut *seculorum* etc. Advertendum tamen, quod neque in s. Scriptura, neque a scriptoribus profanis, aut ulla gente alius hebdomadarum usus occurrat, nisi dierum vel annorum. Pro 7 diebus hebdomas accipitur Lev. 23, vers. 15 et 16, item Dan. 10, v. 2, ubi propheta de se ait: *Lugebam trium hebdomadarum diebus*, i. e., 21 diebus. Pro 7 annis vero hebdomas sumitur Lev. 25, v. 8, ubi dicitur: *Numerabis quoque tibi septem hebdomades annorum, id est, septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem*, quibus expletis succedet annus quinquagesimus tanquam iubilaeus, prout subiungitur v. 10 his verbis: *Sanctificabisque annum quinquagesimum.... ipse enim est iubilaeus*. Porro in LXX hebdomadis Danielis sermo est non de hebdomadis dierum, sed annorum. Septuaginta enim hebdomades dierum, id est, 490 dies non suffecissent de novo aedificandis templo urbi-que Hierosolymae cum muris, propugnaculis, aedibus etc., quae tamen iuxta dictam prophetiam intra illas hebdomadas perfici oportuit (3): *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursus aedificabitur platea et muri in angustia temporum*. Septuaginta autem hebdomades seu septuaginta septenarii annorum conficiunt 490 annos. Si enim 70 mul-

(2) Dan. c. 9, v. 1, 21, etc.

(3) Ibid. v. 25.

tiplices per 7, prodit factum = 490.

NOTANDUM III. Initium LXX illarum hebdomadarum angelus duendum esse monuit *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Hierusalem* (1): id est (ut omnes, aut fere omnes interpretes haec verba intelligunt), ab eo tempore, quo a rege persarum exhibit sermo seu edictum, quo iudaeis permittet facultatem rursus aedificandi Hierusalem 70 abhinc annis a Nabuchodonosore antepenultimo assyriorum rege destructam. *Exire enim sermonem* idem est ac emanare decretum sive edictum principis; sicut Luc. c. 2, v. 1 dicitur: *Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Porro quatuor eiusmodi edicta a diversis persicae monarchiae regibus in favorem iudaeorum data sunt: PRIMUM a Cyro anno regni eius in persica monarchia primo. I. Esdrae cap. 1. SECUNDUM a Dario Hystaspe anno regni eius secundo. I. Esdrae cap. 6. TERTIUM ab Artaxerxe Longimano anno regni sui septimo. I. Esdrae cap. 7. QUARTUM ab eodem Artaxerxe Longimano anno regni sui vigesimo. II. Esdrae cap. 2. Iam vero a quocunque ex his quatuor edictis regum persarum exordium illarum LXX hebdomadarum ducatur, patet, illas iam diu esse elapsas, consequenter Messiam iam diu venisse, ut mox infra paullo enucleatius demonstrabo. Scio quidem, aliquos non ab uno illorum quatuor edictorum initium LXX hebdomadarum Danielis ducere, sed *ab exitu*, h. e. a fine templi salomonici a Nabuchodonosore eversi, vel *ab exitu sermonis Ieremiae* de solutione captivitatis iudaeorum babyloni-

(1) Ibid. (2) Ibid. v. 26.

(3) Vox hebraea משיח Messias, et graeca Χριστός Christus, latine significat *Unctus*.

cae, vel *ab exitu sermonis*, id est, a revelatione Danieli ab angelo facta de rebus intra illas LXX hebdomadas gerendis. Verum, quaecunque ex his expositionibus assumatur, tamen semper verum manet, quod illae LXX hebdomadae iamdiu sint elapsae, ut partim ex dictis, partim ex infra dicendis facile cuilibet patebit.

NOTANDUM IV. Is, qui intra spatium temporis harum LXX hebdomadarum venturus et in hebdomada septuagesima seu ultima occidendus (2) dicitur, est Messias. Nam qui in hac prophetia promittitur venturus, simpliciter et sine addito vocatus Christus, i. e., unctus seu Messias (3); dicitur Sanctus sanctorum, qui impleat prophetiam, qui deleat iniquitatem, qui adducat iustitiam sempiternam, qui confirmet pactum, seu foedus cum hominibus (4). Haec autem attributa in neminem alium quadrant, nisi in Messiam. CONFIRM. Ipsi rabbini veteres plerique, praecipue illi, qui ante Hierosolymae et templi excidium per Titum factum vivebant, dictam prophetiam simpliciter et bona fide interpretati sunt de Messia venturo. Hinc iudaei ante ultimam illam cladem expectabant Messiam venturum. Imo illi ipsi rabbini, qui fuerunt auctores libri *Talmud*, nempe rab. *Moses Gerundensis*, rab. *Ozia* in Seder Olam, rab. *Iosue* ibidem, rab. *Barachias*, rab. *David*, rab. *Abraham* etc., omnes uno ore asserunt, in fine LXX hebdomadarum Danielis venturum Messiam, eumque intelligunt per *iustitiam sempiternam*, de qua Dan. c. 9, v. 24 sermo est. Vide *Cornelium a Lap.* (5).

His praemissis, breviter contra iudaeos, Messiam iam venisse, sic

(4) Dan. c. 9, v. 27.

(5) Commentar. in Dan. c. 9, v. 25.